Brachucki Mathiae: Dies anniversaria conditae Universitatis a Casimiro Magno P. R. 1364. celebrata Cracoviae XII. Cal. Junias 1782

# DIES.

## ANNIVERSARIA.

## Conditae Universitatis.

à

## CASIMIRO. MAGNO.

POLONIARUM. REGE.

*A. D.* 1364.

PERORANTE. PRO. CONCIONE.

M. MATHIA. BRACHUCKI. P. D.

SCHOLAE. S. FLORIANI. SENIORE.

## CELEBRATA.

CRACOVIÆ. XII. CALENDAS JUNIAS. 1782.

# In Tabellam

Tres Regios Vultus
Principum Poloniæ
referentem.

# CARMEN.

Ocyus hoc rutilo coelabis mentor in auro,

Principibus Princeps, quæ schola signa dicat.

Tres regum vultus complectitur una tabella:

Tres cingunt lauri tempora sacra trium.

Dextram, MAGNE tenes CASIMIRE, sagoq; togaq;

Rex legislator! surgo favore tuo.

Objicit ante oculos te pars JAGELLO sinistra

ALME PATER REGUM! munere cresco tuo.

Hos inter medius, REX STANISLAE, locaris

Musarum phoebus! numine vivo tuo,

 Fun-

Fundamenta jacit PRIMUS, levat ALTER in altum,

Absolvit molis TERTIUS omne decus.

O! Felix nimium Sorbonæ Filia! regum

Quam sic munifice sustinet alma trias.

Regibus hisce tribus vivam devota perennè:

Non etenim norunt MUNERA TANTA mori.

Leſzczyńſki.

# ORATIO.

Omnium sanè pulcherrima, quas unquam in hac Florentissima æquè ac Vetustissima Poloniæ Universitate suscepissem, hodierno die in me devolvitur dicendi provincia, cùm Matrem laudatione prosequi aggredior. Quam enim quæso post hominum originem, natura, pulchriorem in corda filiorum potuit inseruisse legem, eâ, ut quoties necesse sit, parentum suorum promerita condignis laudibus celebranda contenderent? Adeò namqué hæc lex vera & firma est, ut de se Parentis Romanæ Eloquentiæ apprimè possit dici sententia: Hæc
,, est non facta sed nata lex, quam non didicimus, acce-
,, pimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus,
,, hausimus, expressimus, ad quam non docti sed facti,
,, non instituti sed imbuti sumus. (1.) ,,

Hac lege firmiter sancta, muneris mei esse dilucidè perspicio, ut vertente, Præclaræ istius Academiæ, Erectionis, solemnitate anniversaria in memoriam Vobis revocem, ea, ex quibus luculenter ipsius Originem, Satores primos, progressum & incrementa, in excolendis Juvenum animis solicitudinem, in promovendis universis Studiis curam, in confutandis Diffidentium placitis industriam, deniqué erga Principes & Præsules suos reverentiam, ceu in speculo conspicere valeatis.

Quod quidem dicendi argumentum si ritè & ordine evicero, jam mihi in ipso disserendi exordio haud leviter polli-

(1.) *Cic. de Legibus Lib. 2.*

polliceor futurum iri, ut digna hodiernæ diei accommodaqué contingat Oratio.

*Origo Universitatis Cracovien.* §. I. Ac quod principe loco dicendum est, *Originem* Conditæ Universitatis altiùs repetamus. Solent, res universæ priùs quàm in magnam molem excreverint, exilia nancisci exordia. Id, quoque Academiæ nostræ in suis primordiis fatum contigit. Antequam enim vel prima illius Casimiriæ, vel postrema Cracoviæ jacta fuissent semina, Polonorum Nationi, ab antiquo sciendi cupidæ, Gnesnæ jam olim, scilicet ea tempestate Regni Sede nidum Literæ fixerunt, quarum vel potissimùm Inclyti primò nominis STANISLAUS SZCZEPANOVIUS Alumnus, expost Cracoviensium Antistes & Martyr Egregius reliquit memoriam, & maximum ijsdem attulit ornamentum. (2.) Viguit profectò illud instituendæ Juventutis Polonæ Seminarium, donec ingens illa VLADISLAI LOCTICI & HEDVIGIS, Boleslai Pii Ducis Calissiensis FILIÆ, Regum Poloniæ Soboles, in MAGNUM, Sago Togaque excrevisset CASIMIRUM. (3.) Et quia apprimè noverat, non sufficere ad perfectam beatitatem Civium si ab hostibus immunes existant, si commodis abundent opibûs, si ab impetitionibus exterorum & motibus intestinis liberi sint, nisì etiam literarum delectu floreant, Regiam sanè induxit in animam, principem in Polonia Scholam erigere, similem Academiæ Pragensium, quam paulò antè CAROLUS IMPERATOR erexit. Quibus conatibus abundè respondens, requé super nova, consensum ab URBANO hujus nominis V. Supremo protunc Romanæ Ecclesiæ Capite, per Legatos cùm diligenter egisset, tum reapse votis eventus respondit. (4.) Videre erat, jam ab illo tempore apud proximam Cracoviæ

*Gnesnæ Schola I.*

*Casim. M. natus.*

*Consensum Erigendæ Universit. curat.*

(2.) *Ex Offic. de S. Stanislao.* (3.) *Natus est* 1310. *die* 30. *Aprilis in Kowal. Ex libr. intit:* Kazimierz Wielki MDCC. LXX.VII. w Warszawie *fol.*6. (4) *Ibidem fol.* 60.

coviæ Casimiriam compta sanè commoda quæ Moderatores literarum, Magistriqué Juvenum, Parisiîs, per JOANNEM GROTUM Crac. Antistitem, Regiis verè impensis conducti, (5.) incolerent. Hoc jam igitur loci tentatum olim ab aliis Regibus opus, ùt erat ipse Sapientissimus ad complementum felicitatis Polonæ deduxit CASIMIRUS. Ea nimirum tempestate deduxit, qua primùm bonæ litteræ incrementa sumserant in Italia, vix cognitæ in Germania, nec earum quenquam funditus Polonia habuit nostra peritum.

*Conditor I. Universit. Cracovien.*

Ne quid verò ad ritè Erectum Generale Studium splendoris desuisset parte ab una, CASIMIRUS, confecta à se & concessa Academiæ Privilegia, Sacratissimo Pentecostes, Festô, utpote die Spiritus Divinissimi omnis Sapientiæ Largitoris per Fora publicari mandavit, eaqué Avenione Summo Pontifici, cujus tunc eo loci Sedes erat, per Legatos proponi; parte ab altera, Supremi eam Christi Vicarii URBANUS V.(6.)& BONIFACIUS IX. (7.) Diplomatibûs suîs firmârunt. En pro virili quæsitam Scholæ Principis *Originem!* en primum ejus Parentem, MAGNUM CASIMIRUM! Magnum profectò, non vanâ eorum qui Regibus adulari sciunt sententiâ, Magnum, non per metum & crudelitatem extorta voce, Magnum, solius ardentissimi in Patriam amoris nomine, Magnum, à strenuè suscepto & dexterrimè confecto, innumeris propemodum vicibûs, bellorum strepitu, Magnum, uno omnium gentium ac populorum ore ac judicio. Adde etiam, Magnum, quòd ad Armorum splendorem, litterarum quoqué dignitatem, primus in hoc Regno sciverit optimè adjunxisse.

*Casimirus quare dictus est Magnus.*

§. II.

(5.) 1338. *Annô.* (6.) 1364. *Avenione.* (7.) 1397. *Annô.*

§. II. Constitit jam, sorte omni fortuna majore per CASIMIRUM Egregium sui Parentem Universitas, de cujus ulteriore *Progressu* modica quædam in præsentiarum subnectere lubet. Scilicet Annum agebat, à prima sui *Erectione*, sextum supra trigesimum, quô Annô, Successor CASIMIRI VLADISLAUS JAGELLO Sacer ille Lithvanorum Apostolus cum Nepte CASIMIRI Diva HEDVIGE Tori & Throni Consorte gerebant Imperium, (8.) quô Annô, ex præconcepto in litteras & litteratos amore, eo erga Universitatem hanc flagraverunt studio, ut, quos hactenus nondum habuit honores & gradus Academicos, in posterum iisdem gaudere liceret.

*Progressus Universit. Cracovien. sub Vladislao Jagellone & Hedvige.*

Idcirco apud Bonifacium IX. supplicibûs instabant precibûs (9.) ut ad augendam illustrandamqué Academiam, erigendi primùm Facultatem Theologicam Apostolicæ potestatis consensum præberet. Obtenta hac Suprema liberalitate BONIFACII, Ordinationem ejusdem, primis illis Præceptoribus & potissimùm Johanni Isnero Doctori Theologiæ, HEDVIGIS, Regia Authoritate commisit.

Venit tandem, Annus Æræ Vulgaris MCCCC. quo se jam adultam ætate laboribusqué in commune bonum impensis conspexit. alter Academiæ Cracoviensis Natalis. Tametsi enim, MAGNUS CASIMIRUS illam ingente opera, splendido cultu, accuratis Privilegiis divitem reliquerit, VLADISLAUS JAGELLO, inventis à CASIMIRO majora addidit, & in materiam, quod ajunt, optimam, septem ampliùs lustris dispositam, formam introduxit elegantissimam. Nimirum, recèns XV. Seculo nascente, cùm Diem Sacrum Divinissimæ Magdalenæ celebraret universa Ecclesia, per NICOLAUM de KUROW Vladislaviensem Episcopum & Majorem Regni

(8.) *Annô 1396.* (9.) *Annô. 1396.*

Regni Cancellarium, quo tum temporis ùt ore ſuo utebatur PRINCEPS plurima ad Academicos de Collegio Caſimiritano in Palatium Cracoviense vocatos, decreta & teſtata eſse voluit. *Primum:* quantopere ornatam Academiam vellet; eamque de sede primæva ad hanc quam incolimus Urbem, translatum iri decerneret; *alterum:* locum pro Academia, Domum hanc, iſti Templo proximam (9.) (quæ hodiedum pervetuſta Divi JAGELLONIS audit Aula) ad ſuam Majeſtatem jure optimo pertinentem, pro uſibus Scholarum donatam exponeret; gratiæ iſtæ, æternùm arctiſſimo obligationis fædere an non Univerſitatem VLADISLAO devinciunt? Quid verò Sacerdotia, quæ Regali ſanè munere iſtius Scholæ Theologis attribuit, (10.) nonne æternum SIBI gratitudinis monumentum loquuntur? *Incrementũ Univerſitatis Cracov.*

Quid SIGISMUNDO AUGÚSTO in acceptis referet Univerſitas? Qui eandem à squallore vindicans tria ſibi Eccleſiaſtica Beneficia (11.) gratiâ penè ſingulari contulerat! nimirum Sacramentó gratitudinis obſtricta, EUM inter Mecænates ſuos æterna memoriâ celebrabit.

Quas non gratias STEPHANO BATHOREO Academia debet? Qui Theologos, intuitu Eloquentiſſimi Verbi DEI Præconis Socolovii, nova præclari Beneficii Eccleſiaſtici acceſſione donaverat. (12.)



(9.) Stephani Pancerz *dictam.* (10.) 3. *Cancellariatus: Poſnanien. Lancicien. Siradien. Item, Omnes Præbendæ ſeu Canonicatus in Eccl. Collegiata S. Floriani ad Crac: Annô* 1401. *Item Cuſtodiam ibidem, Annô* 1425. (11.) *In Proſzowice. Przemykow & Korczyn. Annô* 1550. (12.) *Præpoſitura eſt S. Floriani Clepard. ad Cracov.* 1578.

Paria, jure verò majora æviternæ gratitudinis pensa STANISLAO AUGUSTO, JAGELLONIDÆ, REGI SAPIENTI, ORTHODOXO, JUSTO, MANSUETO, MUNIFICO, RESTAURATORI suo se se persolutaram Academia sacrosanctè vovet.

*Universitatum Catholicarū Officia IV.* §. III. Quia verò ea omnia quæ Universitates Catholicas tenent Officia, ad IV. potissimùm, classes revocantur: ad excolendos scilicet Juvenum animos; ad promovenda universa Studia; ad confutanda Heterodoxorum placita; deniqué ad præstandam Principibus Præsulibusque suis reverentiam; ea, Regni Schola Princeps & servavit semper fideliter, & hodiedum conservat.

*I. Officium.* §. IV. Nam si primum examinabimus: intelligebat profectò quavis ætate Universitas proprii esse officii, summìs studiìs litteras percolere; intelligebat in eum finem à Divis Satoribus suis se se fundatam, quatenus non Urbi huic duntaxat, sed Orbi toti Sarmatico docendo sufficeret: omnes igitur huc nervos intendit, ut & juvenum, quorum semper frequentiâ maximâ florebat, & Virorum, qui ad eandem, cùm ex hujus Regni partibus, tum exterorum Provinciis certatim confluebant, animos bonìs litterìs quoquo tempore imbueret.

*Studia Universa, quid?* §. V. Quodsi ad alterum animum convertemus: noverat probè Universitas, nihil aliud esse Studia universa, nisì unam bene formatam & adultam rationem, hominumque utilitatibus intentam; suarum igitur partium esse semper ducebat singulas promovere Artes & Scientias, cùm nulla earum sit, quæ ad rationem seu instituendam & formandam, seu ad augendam emendandamque non aliquid conferat. Igitur eas pro genio Sæculorum constanter promovit. Ætate verò ista cùm ad culmen ascen-

disse

difse videntur litteræ, cùm Scientiæ rei veritatem non umbram, finemque publicæ utilitatis præseferant, eas itidem protegente REGE SAPIENTE STANISLAO AUGUSTO RESTAURATORE SUO ex animo promovet, & quatenus ad perfectam felicitatem Generosæ Pubi aditum præparent, pro virili contendit.

*Incrementū Universit. sub Stanislao Augusto Rege Sapiente.*

Quid enim, quod homini naturaliter scire desideranti, ab Academia ampliùs docendum expectetur? Inveniendi, ratiotinandi, argutè amænèque disserendi facultatem, LOGICA, RHETORICA, POETICA, suppeditant, nonne illas REX SAPIENS restaurat? Accuratiùs, subtiliùs demonstrandi & concludendi media GEOMETRIA & ALGEBRA offerunt, nonne illa renovat? HISTORIA, materiam naturæ & hominum suppetit; hanc in Artem impingit PHYSICA, nonne illas florere facit? Vitam conformiter ad Divina Christi instituta ducendam docet THEOLOGIA, JURIS PRUDENTIA, nonne illás sanctas vult esse? Ut aliis nostra communia faciamus, & ab illis vicissim sua accipiamus, eò comparata sunt Lingvarum STUDIA, nonne ista mirificè fovet & recreat? Terras quas Oceanus à nobis disterminat, quòd junxerimus; debemus hoc navigationi seu NAUTICÆ. Populos, Cælô, linguá, moribûs discriminatos, quòd domi habeamus, debemus GEOGRAPHIÆ. Ad ea, quæ superna nobis sunt lustranda, & quorum admirandorum tantùm causâ natum se dicebat ANAXAGORAS, scilicet Cælô & Syderibûs, OPTICA oculos aperit, ASTRONOMIA viam monstrat, TRIGONOMETRIA gressum dirigit; nonne hæ dignæ homine, dignæ Sapiente Scientiæ, sub REGE SAPIENTE sereniorem faciem induunt? MECHANICA plurimum emolumenti laboribus hominum levandis attulit. Quòd non baculis, arcubûs, gerantur bella: quòd non conflictu lapidum oppugnentur expugnenturque Urbes & Arces, debemus MILITARI: quòd Templa, Palatia,

*II. Officium.*

 Curias,

Curias, Domos habitemus; CIVILI debemus ARCHITECTONICÆ. Quòd ex Solis Lunæque umbris discamus horas; id debemus SCIOTHERICÆ. Exhilarandis per tempus, dum licet, animis, quô mirificè capimur, subservit MUSICA. MEDICA FACULTAS, cujus Professores Altissimus, qui eos creavit, honorandos præcepit; tantum confert saluti corporum, quantum Theologia consulit saluti animarum. An non hæc Ars humano generi tantopere propitia, injuriâ temporum in Polonia pene sepulta, miraculô liberalitatis REGIS Nostri SAPIENTIS, ab umbris ad vitam revocatur? Revocatur profectò; quemadmodum & cæteræ Artes, Scientiæ, totaque Divina & humana Sapientia REGI SAPIENTI vitam vitæque subsidia in acceptis profitetur. STANISLAUM AUGUSTUM REGEM, in Cujus Nobilissimis venis Divi JAGELLONIS Sanguis scaturit, RESTAURATOREM Academia suum colit, amat, celebrat, pro merito tanto PRINCIPE digno; colet, amabit, celebrabitque pro suo debito.

*III. Officium.* §. VI. Scelus, petulantiam, Heterodoxorum reprimere tertium est Catholicæ Universitatis officium: quod quanta fide exequuta sit Universitas nostra, non hodie excogitatas, sed fide publica testatas res placeat auscultare. Eam enim scelerum eliminatricem, Hæreticorum extirpatricem scribit longissimè noster Dlugossius. (13.) Vicleffitarum, Hussitarum, Arianorum & aliorum hujus furfuris Hæreticorum infinitis propemodum vicibûs contemptricem, idem scribit. (14.) Lutheri & Augustanæ Synodi sequacium, ac aliorum erronum, Poloniam, Hungariam, Prussiam, Sueciam, Germaniam, Bohemiam inundantium, indesinentem oppugnatricem OKOLSKI scribit. (15.) Quòd detriverit profana Hæreticorũ Fana,

(13.) *Libro 10. ad Annum 1400.* (14.) *lib. 11. ad Ann. 1431.* (15.) *Orb. Polon. Tom. 2. pag. 247. Idem fatentur Acta Thorunen. ad Ann. 1645.*

Fana, major omni exceptione, maxima dignitate pietate & sapientia præcellens STANISLAUS Hosius Cardinalis teſtis eſt. (16.) Quòd fuerit in omnes uno nomine Heterodoxos ex speciali Commiſſione Inſpectrix per Poloniam generalis, Supremi Poloniæ Principes SIGISMUNDUS I. VLADISLAUS IV. (17.) Petrus Poſnaniensis fatentur. (18.) Fatetur id ipſum Prænobilis hujus Urbis Senatus. (19.) Quòd fuerit Sanctæ Eccleſiæ, ab Heterodoxorum impetitionibus ſincerè defendens Tribunal, ſcripſit ad Martinum V. Pontificem VLADISLAUS IV. (20.)

Accedit; quatuor sæcula emensa Studiorum Mater, * Virgo eſt, ſinè ruga, ſinè macula. Sola in vaſto Septemtrione medios inter Gentiles & Ethnicos, inter Schismata & Hæreses omnis ſuſpicionis expers, ex omnibus Gentibus & Tribubus plurimos eduxit Patri Æterno filios, ne jejunum Matris videretur nomen tenere. (21.) Fidelis DEO, nulla heterodoxa pravitatum labe maculata Virgo, Sanctæ Fidei & Eccleſiarum fulcrum, ſcripſit PETRUS SKARGA. (22.) Accedit poſtremò, quòd cùm famoſus infamiâ Franciſcus Stancarus, Patriâ Mantuanus, litterarum Hæbræarum edocendarum causâ, in

* *Ipſo Anno feliciſſimæ Electionis & Coronationis Regis STANISLAI AUGUSTI.*

(16.) *Epiſt.* 252. *& Epiſt.* 265. *ad Stephanum Regem.*
(17.) X. Przedborſki w Kazaniu o B. Janie Kantym.
(18.) *Petrus Poſnanienſis Ord. Min. lib.* 2. *Tract.* 2. *Cap.* 1. *n.* 4. *pag.* 417. *edit: Ann.* 1652. (19.) *Et hujus Urbis Conſulum Senatus Crac. in Pentecoſt. Annô* 1364. (20.) *In motivis litterarum, circ. medium* (21.) M. Adamus Roſzczewicz J. U. D. hujus Univerſit. Rector. *in Salut.* Illuſtriſsimi Antonii Pignatelli *Legati ad* Joannem Caſimirum *Regnumq; Poloniæ.* (22.) *In Scriptis & Panegyricis hujus Univerſit. Plura ſunt in* Maciejoviana Synodo 1601. *tit: de Stipend. Academ. c. Academia Cracov. & Annô* 1736. *pag.* 360. *in Conventu Generali Varſoviæ.*

in Academia Cathedram occuparet, dum Regii Pſaltæ verba: *Cùm invocarem exaudivit me DEUS*: enarrans, contra Invocationis Sanctorum dogma temerè hallucinaretur; tùm NICOLAUS SCHADER Vir Integerrimus, Academiæ RECTOR, pro auctoritate ſua, & Religionis zelo iſtum hominem nequam arrepto fuſte tanquam rabidum canem è Cathedra fugavit, & ab Academia abegit, quem primò Mantuâ ejectum, Italiâ pulsum, Germaniâ prohibitum, Radyminſcius (23.) Orichovius ſcribunt. (24.)

*Pſaml. 4. v. 1.*

*IV. Officium.*

§. VII. Jam, si poſtremum Catholicæ Univerſitatis officium inſpicere lubet, Univerſitás hujus Legis obſervantiſsima ſemper extitit. Equidem Universa Gens Polonorum cùm à natura ita comparata ſit, ut Regibus ſuis ab antiquo devotiſsimam se se exhibeat; quid de Gente Academica, litteris inſtructa, à Principibus conditione Equeſtri & Senatorum Ordinibus adſcripta (25) multiplicique beneficiorum genere cumulata, quid inquam de Gente Academica, deque ejus erga Sacros & Sæculares Principes gratitudine cenſendum eſt?

Univerſitatis profectò noſtræ à prima uſque ad ultimam diem in Sedem & Succeſsores PETRI ab URBANO V. ad feliciter modernum PIUM VI. reverentiæ ſtudia ſuccreverunt. Non enim præclarius quidpiam unquam reputavit; quàm ad rete PETRI Gentes compellere, pulſis ignorantiæ & errorum tenebrîs lumen Fidei ubiqué ſpargere; Hæreses fugare, veram Sapientiam profiteri, lingvâ, calamô, authoritatem Sacræ Sedis defendere, Eamque, Fontem Signatum, Turrem Eccleſiæ de qua mille Clypei pendent, colere, PIUM VI. Caput Eccleſiæ venerari, in PIO, PETRUM; in PETRO CHRISTUM, debitu cultu adorare.

Sore-

(23.) *Faſtorum Academicorum Tomo 2. lib. 1. ad Anno 1545.* (24.) *in Chymæra.* (25.) *Privileg. SIGISMUNDI I. de Anno 1535.*

Sereniſſimorum Poloniæ Regum, à primis Conditoribus suis CASIMIRO, VLADISLAO, ad feliciter Imperium Regni tenentem STANISLAUM AUGUSTUM JAGELLONIDAM, vera filia eſt; filialem itaque Progenitoribus ſuis, RESTAURATORI suo reverentiam obedientiamque profitetur.

CELSISSIMIS ſuis CANCELLARIIS, poſt JOANNEM GROTUM ad hodiernos ſibi Faventiſsimos; SENATUI EQUITIBUSQUE POLONIS; EXCELSO PRÆFECTORUM Publicæ INSTITUTIONIS COLLEGIO, hac die Erectionis suæ Anniverſaria ad Sacras Aras vota sua perſolvit.